



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 8. Iudæo imaginum sacrarum hosti consilium proprium quid pepererit?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

minisset. Ita contingit illis, qui consulentes volunt adulari; quorū tota vis est, & mens, dicere, quæ placeant; facere quæ noceant, nihil pensi habent. Atque de tali homine dicitur: *Arctabuntur gressus virtutis eius, & precipitabit eum consilium suum.* Qui ergo & sibi & Reipubl. vult benè, benè consulat; eosq; qui benè, hoc est, prudenter, fideliter, & ubi necesse est, cum secreti silentio, nec præcipitanter consulant, nec quidquam ad gratiam captandam, vel ob alios priuatos affectus fingant. Quamobrem Fridericus Cæsar, consiliarijs suis in curiam vocatis, *Vtinam inquebat, consiliarij mei in palaty vestibulo duas res deponerent. Sic enim & ipsi rectè consulerent, & mihi etiam inter consilia dyndicare facillimum esset.* Interrogatus autem, quænam res illæ essent? *Simulatio, & Dissimulatio,* respondit.

Iob. 18. 7.

§. VIII.

Judæo imaginum sacrarum hosti consilium proprium quid pepererit?

Mendacij quoddam genus est, simulare ea, quæ non sunt; vel dissimulare, quæ sunt. Itaque qui suadet aliquid simulando, mentitur, enimuerò in caput suum mentitur, dignus mercede, quam mendaces promerentur,

rentur. Est enim mendacium falsa verborum prolatio cum intentione fallendi: falli autem odio, voluntas fallendi supplicio est digna. Et tamen hac se arte alunt plurimi à qua se vel Ethnici excusauerunt.

Iuuenal.
Sat. 3.

*Quid Roma faciam? mentiri nescio, la-
brum,*

*Si malus est, nequeo laudare, & poscere
motus*

*Astrorum ignoro: funus promittere pe-
tris*

*Nec volo, nec possum: ranarum viscera
numquam*

*Inspexi: ferre ad nuptiam que mittit ad-
ulter,*

Qua mandat, nōrint alij.

Baron.
An. Chri-
sti 723.
tom. 9 ex
Concilio
Niceno
2. Act. 5.
& Damal-
cen de
hær.

Qui itaque nōrunt, atque ex simili arte con-
sulunt, quid capiti suo suant, ostendit bre-
uiter Theophanes, copiosè autem & lueu-
lento tam exemplo, quàm testimonio et
sacro sancto Occumenico Nicæno Concilio,
& Damasceno Cardinalis Baronijs, qui hæc
verba transcripsit: *Per ea tempora in Tiberia-
de dux quispiam erat Hebraorum impiorum,
cui nomen Serantapechys, officina diabolorum,
quibus vitare animas, lusus est & jocus, homo
præstigiator, & veneficus, & Ecclesie Dei hostis
impla.*

implacabilis. Hic animaduersâ Gizidi Regis lenitate, hominem ag greditur, polliceturq; Hebraorū ingenita malitia in se Regi quadam predicturum, & vatem acturum in maximè necessarijs rebus se offert. Eas ob res cū esset insinuatus Tyranno: Volo (inquit) ô Princeps, modò me audias, rationem quamdam indicere tibi, quâ poteris facillimè, & vitam commodam degere, & triginta annos regnum equabili in potestate conseruare. Stultus autem Tyrannus spe & desiderio longioris vite animi lenitate elatus (erat enim homo voluptatibus deditus) respondit: Quacumq; me iusseris facere, modò possim, agam. Veneficus autem Hebraus confestim, inquit: sine vlla dilatione iube vniuersum per regnum epistolam, quæ passim circumferatur, scribi & mitti, qua omnē imaginem & picturam, siue ea in tabulis, siue in opere musaico in pariete; siue in vasis sacris, aut indumentis & altaribus sit, & quacumque in Christianorum Ecclesijs reperitur, deleri, expungi, auferri, & ex toto subuerti mandes: neq; illas solū, verū omnes similitudines, & earum etiam, quæ in foro ornatus, & honestatis gratiâ collocantur: nullâ igitur ratione aliâ, quàm ut odium & furorem aduersus Christianos exerceret, prestigiator identauit, Tyrannus autem nefandus prestigia-

tori leuitate suâ auscultans, missis nuntijs, omnes
 sanctas imagines & similitudines per uniuersam
 prouinciam abstulit. Hoc itaq; modo primùm
 Ecclesie ornamenta, procurante Hebræo venefi-
 co, ablata sunt. Christiani autem cùm id suis
 manibus facere detrectarent, missi sunt Hebræi
 & Arabes, homines in Deum impij, qui imagi-
 nibus exustis Ecclesiarum quasdam calce, quas-
 dam alijs coloribus dealbârunt, & incrustarunt.
 Ita planè Ioannes Damascenus de Iconoclasia
 ita dictis (inquit) quòd cùm sanctas & venera-
 tione dignas imagines cum ignominia tracta-
 sent, tum in minutissimas partes comminue-
 runt, tum coniecerunt in ignem, eodemq; modo
 eas, quæ in parietibus erant depictæ, partim
 aqua calida, partim calce atramentoq; oblitera-
 runt. Hæc ipse, sed pergit Ioannes Orientis
 Vicarius: Hæc autem cùm peruenissent ad au-
 res Pseudoepiscopi Nacolia, & qui eiusdem erat
 cum illo opinionis, impios Hebræos & Arabes
 imitati, Ecclesias Dei, veluti crucem Christi re-
 recundantes reddiderunt. Arbitror autem ve-
 latu dignum, ut & sanctitas vestra audiat, quæ
 finem ignauus iste & veneficus Hebræus habu-
 rit. Gizidus enim, qui facinus perpetrauerat,
 ultra annum cum dimidio non vixit, in ignemq;
 æternum descendit. Postquam autem mortuus
 fuit

fuit, in pristinum ordinem & statum imagines restituta sunt. Filius autem illius Ulidus nomine indignatus Hebræo tamquam interfectori patris, turpissimâ morte, hominem mori coëgit. Ita is falsi sui vaticiniy dignum pramium accepit. Sanctissimus Episcopus Morsena dixit: Ego paruulus eram in Syria, quando Saracenorum Princeps imagines subuertit. Hactenus Nicæna acta, quæ non tantum docent, in imaginum persecutorem justissimè vindictum esse; sed etiam veneficum id, quod & à ratione, & à veritate longè auersum, consulentem, sibimet ipsi pessimè consuluisse. Neque enim tyrannus hoc consilio vitam prolongauit, sed incidit, neque Hebræus aliud obtinuit, quàm vt, mercedis loco, turpissima morte mactaretur. Ita ad perniciem delabuntur ingenia, sine consilio consulentia; aut malitiosè suadentia vanitatem.

